



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quomodo sermo sit iudicaturus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

VERSUS 47.

Et si quis audierit verba mea, & non custodierit: ego non iudico eum: non enim veni ut iudicem mundum, sed ut saluificem mundum.

QVÆSTIO I.

An non sit Christus iudicaturus?

§. 1. **Q**uod noster interpret habet. Non custodierit, ἢ τηρήσῃ, in Græcis variant exemplaria; nam multa habent, ἢ πιστεύσῃ, non crediderit. Latina lectio constans est, ideoque præferenda. Quod vero negat, se eum iudicaturum, non abdicat se potestate omnes iudicandi, sed nunc tempore existimationis negat se venisse ut iudicem, sed ut Saluatorem. Hinc etiam Athanasius probat. Verbum esse Dei filium, orat. 5. contra Arianos. Forsitan igitur impudentissime dixerint, non Filij, sed verbi hanc vocem esse, Atque ex superioribus dictis clarum est, Filium fuisse, qui ista loqueretur. Cum enim hic dicat, non veni iudicare mundum, sed seruare, in confesso est, non alium esse, quam vnigenitum Filium Dei. Dicit enim superius Ioannes: Itā Deus dilexit mundum, ut Filium suum vnigenitum traderet, ut quisquis in eum credat, non pereat, sed habeat vitam æternam; non enim misit Deus Filium suum, ut iudicet mundum; sed ut seruetur mundus per ipsum: qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est: eo quod non crediderit in nomen vnigeniti Filij Dei. Hoc autem iudicium est, quoniam lux venit in mundum, & homines dilexerunt magis tenebras, quam lucem, et ante enim opera eorum mala. Si is, qui dixit, non venit ut iudicem mundum sed ut seruem, is autem qui venit in mundum seruet non ut eum iudicet, Filius est Dei vnigenitus: manifestum est eundem esse filium, qui dicit: Qui vidit me videt & eum qui misit me.

§. 2. Quorsum illa verba CHRISTVS attulerit, non indicant auctores. Nihil enim ad institutum facere videtur, quod dicit, se iudicaturum: ut res penitus intelligatur, sciendum Iudæos ex Scripturis certo collegisse Messiam esse mundum iudicaturum. Nam in vetusta expositione Geneleos, quam magnā appellant. in cap. quadragesimum nonum. Vbi dicitur, Donec veniat Silo. Explicatur his verbis. Hic est Messias, & ad eum aggregabunt se gentes. Quia ipse erit iudicans vniversum mundum. Et hoc ipsum est, quod scribitur Mich. 2. cap. 4. Et iudicabit inter populos multos, & arguet gentes fortes. Et apud Isaiam 9. Et iudicabit in iustitiā pauperes, & arguet in equitate mansuetis terre. & percutiet terram virga oris sui. & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Ita eorum interpretes, qui etiam verba Danielis 7. huc accommodant, ut ex R. Iehosua docent, R. Abraham, & R. Selomo, & in Midras Tehillin, expositione Psalmorum. Simile hoc est filiis hominum, qui venientes ad iudicium apud Tribunal, permissiscebant iudicium, dictumque est illis. Ne timeatis, neque grauetis cor vestrum. Sic enim est futurum, ut Israel stet in iudicio, coram Deo sancto, & benedicto, & ipsi quidem peritimescent; Angeli vero ministri dicent eis. Ne timeatis, neque paveatis, neque terreamini. Filius quippe ciuitatis vestra est. Sicut dicitur Isai. cap. 43. Ipse adificabit ciuitatem, & captiuitatem meam eruet. Iterum dicens, ne timeatis iudicium meum. Nonne cognoscitis eum qui propinquus est. ut dictum Psal. 149.

Cum igitur ista Iudæis nota essent, & Christus dixisset, Nunc est iudicium huius mundi, se omnia ad seipsum esse tracturum, modico tempore eos lucem habituros, mansuros in tenebris, qui in se non crede-

Hoc non est
serpens
iudicij.

rent. Putabant iudicium mox futurum; nam videmus etiam Apostolos secundum Christi aduentum cum primo iunxisse. Ne igitur ea in re errarent, putarentque eos qui non crederent continuo Dei iudicio conterendos; aut si id viderent non fieri, de Messia dubitandi occasionem haberent, diserte monet, se nunc non venisse iudicatum, sed saluatum mundum. Periculum enim erat, ut impii piis, & fidelibus insultarent, ac subsannarent, quod nullas suæ infidelitatis penas penderent, cum interim fideles cum maximis calamitatibus conflictarentur.

VERSUS 48.

Qui spernit me, & non accipit verba mea: habet qui iudicet eum: sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die:

QVÆSTIO I.

Quomodo sermo sit iudicaturus?

§. 1. Infidelium proteruit occurrat. Et si, inquit, nunc ego iudicandi & vlciscendi potestate non vtar, non tamen impune lasciuiet eorum insolentia, qui verba mea contemnunt. Iudicabuntur in nouissimo. Sermo quem locutus sum ille iudicabit. Sermo enim habet causam, & argumentum eos damnandi. Hinc apparet vers. 47. legendum negatiue, non custodierit. non affirmatiue, ut Nouatiani, & Ambrosius legunt: agitur enim de infidelibus. Sensus igitur clarus est. Impios & incredulos sermo ipse, E. Sermo dei angelium ipsum, quod ex Prophetis probauit, quod miraculis confirmari, quod sanctissimam doctrinam continet condemnabit, non pronunciando sententiam, sed ostendendo eorum scelera, & quæ illis pena debeatur. Quemadmodum leges dicuntur damnare reum, quæ in eas commisit, & lege agere dicitur, qui crimen vlciscitur. Cum ergo veram doctrinam ferre nolint, tum dæmum apparebit, quantum bonum neglexerint, quantum malum secuti sint. Consultè Augustinum lib. 1. cap. 12. de Trinitate.

VERSUS 49. 50.

Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. Et scio quia mandatum eius vita æterna est. Quia ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

QVÆSTIO I.

An mandatum à Patre acceperit?

§. 1. **Q**uidam negant. Patrem Filio quicquam Mandatum mandasse, sed mandatum nihil aliud esse, habuisse quam cum Patre consentientem voluntatem: eundem Verum cum toties de mandato agat, & obediens fuerit, non est dicendum mandatum non habuisse secundum formam serui, cuius est præceptis Domini obtemperare.

Minatur itaque iudicium, quoniam à seipso non loqui-